



RECTOR ACADEMIÆ GIESSENÆ  
M. CHRISTOPHORUS SCHEIBLERUS LOGICÆ AC  
METAPHYSICÆ PROFESSOR ET PÆDAGOGIARCHA  
Lecturis S. P. D.



Admodum Reverendus & Excellentissimus Vir,  
DN. CHRISTOPHORVS HELVICVS, SS. THEOLOGIAE D.  
ejusdemq; & linguæ Hebraeæ Professor celeberrimus,  
NATUS



PRENDLINGÆ, in Luco Triquernorum, Anno 1581. d. 26.  
Decembr. Viro Reverendo & Doctissimo, Dn. M. CHRIS-  
TOPHORO HELVICO, Pastore illius loci, & ELISABE-  
THA, Matronâ honestissimâ, parentibus,  
Fundamentis Studiorum positis

Apud parentem primùm, deinceps & Francofurti, sub BINDERI Discipli-  
nâ, ad XIII. ætatis annum

*Marpurgum profectus,*

Eâ ætate ad lectiones publicas receptus, statim Distichis Catonis Græco car-  
mine redditus; XIV. ætatis anno, perraro exemplo, BACCALAUREATUS  
gradum consecutus; Mox XV. ætatis anno in documentum etiam peritiæ  
Hebraicæ, Èvangeliis Dominicalibus in Hebræam Linguam translatis, qua-  
driennio post, quod citiùs poterat, Promotore D. JOHANNÉ HARTMANNI,  
tum temporis Mathematicum Professore ibidem MAGISTERII honores con-  
secutus, primo inter XXII. competitores, loco; Nactus etiam eodem anno  
Stipendiarii MAJORIS officium: Inter fervens Theologiæ studium, Lin-  
guas, artes & scientias Philosophicas in privatis Collegiis docuit: semper ex-  
emplum diligentia, modestia, humanitatis, pietatis.

*Ea Academia mutata, Anno 1605. Gissam pergens,*

Et circa initium hujus, quod tùm erat, Gymnasii, Linguæ GRÆCÆ & HE-  
BRÆÆ: Et deinceps Anno 1610. Græca Professione dimissa, Professor  
THEOLOGIAE; Et porrò, volente ita Illustrissimo ac Celsissimo Principe  
nostro, DR. LUDOVICO, Hassiæ Landgravio, &c. Promotore Viro admo-  
dum Reverendo & Clarissimo, Dn. BALTHASARE MENTZERO, &c.  
Anno 1612. ejusdem DOCTOR factus,

D

Nova

Biogr. erud.

D. 1588, 32

Neim.

*Handwritten notes and signatures at the bottom of the page.*

22 a

838

*Nova Didactica amore*

Eodem anno, de voluntate præmemorati Principis nostri, Francofurtum: Postea Augustam Vindelicorum profectus: atque inde rediens, Hebraicè disputando, perorando, brevissimâ Methodo linguam istam docendo, varias linguas in compendiosa systemata redigendo: Excellentia ejus rei, post incredibiles labores, specimina edendo,

V I R

Ob peritiam in omni linguarum, scientiarum, historiarum genere planè singularem; Profundam & fundamentalem rerum Theologicarum cognitionem, Ingenii & Judicii acumen maximum, aliasque virtutes innumeras, incomparabilis: Scriptis, editis & edendis, ad immortale sui nomen Clarissimus: columen & lumen & Academiæ & totius Reip. literariæ splendidissimum.

*Parens factus:*

EX URSULA LÜNCHERIA, matrona honestissimâ, Anno 1610. ductâ trium puerulorum, unius filiolæ

*Febri correptus, XX. Augusti, maligna & acuta.*

Post peccatorum pœnitentiam, doctrinæ & religionis suæ invariata confessionem, SS. Cœnæ usum, rerum suarum dispositionem, cum toto ægritudinis tempore exemplum pietatis & patientiæ præbuisset omnibus,

*Obdormivit in DOMINO.*

Piè & placidè, sine motu ac metu, inter suas & adstantium preces & suspiria

*Anno hoc M. D C X V I I. Die X. Septembris.*

Cecidit hæc columna Academiæ nostræ, Reip. Literariæ & totius Ecclesiæ maxima: Orate jugiter, ne reliquum corruat: Ejusque honori hoc extremum date, ut corpus, ab anima in cœlum portata, relictum, hodie ad 12. frequenti conventu, in significationem soliti affectus erga ipsum & viduæ, Orphanorumque solatium, ad dormitorium deducatis. Collugete, mortis memores vivite, & interim valete diutis. & felicissimè. P. P. Gissæ sub Academiæ Sigillo, Anno c<sup>o</sup> l<sup>o</sup> c<sup>o</sup> X V I I. Die X I V. Septembris.

ΛΟΓΟΣ ΕΥΧΑΡΙΣΤΙΚΟΣ

*Post deductionem funeris Viri Reverendi admodum, Clarissimi:  
& Excellentissimi, Domini*

CHRISTOPHORI HELVICI  
DOCTORIS THEOLOGI MAGNI, INCOMPARABILIS  
Historici; exactissimi Chronologi, & absolutissimi Philologi &c.

PRO-

PROFESSORIS LINGVARUM ORIENTALIUM, ET SS. THEOLOG.  
in Illustri Gissena Academia celeberrimi &c. Viri de Ecclesiâ, & Re-  
publica literaria optimè meriti: Domini præceptoris, hospi-  
tis & patroni sui desideratissimi:

*Contestanda gratitudinis & συμπαιδείας, ergò*

Habitus à

COELESTINO MISLENTA, Angerburgensi Boruffo.

**M**EMORABILIS est historia de femina cujusdam celebris (quæ Junonis, fertur, sacerdos fuisse) filiis, Cleobi nimirum, & Bitone. Hi quodam tempore, instante festo ab Argivis Diva sacro; currum pararunt, quo ad Deo sacrificandum Mater Sacerdos veheretur. Extinctis verò inter vehendum jumentis curru junctis; matrem autem pedibus ire, nefas esse, currumq; in via consistere, cum filii piaculum ducerent: spontè jugum subire, ac sese curru loris accingere, eumq; moderari ac usq; ad locum sacrificiis destinatum pertrahere statuerunt. Caterùm peracto sacrificio, cum ignoraret Mater nimio perfusa gaudio, quamnam & quantam mercedem filiis, pro opera aded laudata persolveret; lachrum abunda, Deum obsecrabat, ut quod amicis optimum dare soleat; id filiis suis, pro pietate insigni largiri dignaretur. Cujus preces cum gratas, ratasq; sibi fuisse, per oraculum innuisset: præmium, quod pro tam eximia pietate Cleobis & Biton receperunt, tale fuit; quod cum epulati cum matre charissima, sani vespertino tempore, somno sese dedissent; tempore matutino mortui sint reperti.

Lugubrem ejusmodi historiam, ut in ferali ista Panegyri, & pompa commemo-  
rarem; Magnifice Domine Rector, Viri omnium ordinum Rever. admodum, Consultis-  
simi, Experientissimi, Clarissimi & Excellentissimi; Nobilissimi, Præstantissimi & Hu-  
manissimi: ejusmodi, inquam, lugubrem historiam, ut impræsentiarum referrem; an-  
sam mihi prebuit funus, quod modò terre mandavimus, Viri Reverendi admodum, Ex-  
cellentissimi & Clarissimi, Domini CHRISTOPHORI HELVICI SS. Theo-  
log. Doct. ejusdemq; & ling. S. Professoris in hac Inclÿta Academia celeberrimi.

Habuit namq; Mater, non tantum Academia hæc Illustris, purioris religionis ve-  
ra Nutricula, ac veluti Mantissa quædam; verùm etiam universa Ecclesia orthodoxa,  
quæ matris nomine, sæpissimè apud orthodoxos Patres venire solet; nostrum èν αἰτίοις al-  
terum sive Cleobin, sive Bitonem, si pietatem spectes: quippe qui non solum à teneris, quod  
dicitur, unguiculis, currum religionis orthodoxæ, industrie paravit; sed etiam Matrem  
suam Ecclesiam, eo ipso, ad offerenda sacrificia Deo grata; cum pietate insigni, ac laude  
immortali tot annos vexit, ac deduxit. Majorem verò, & longè chariorem utroq; illo  
habuit, si ingenii, & eruditionis admirandæ dotes expendas: in quarum laudes, si laxan-  
da mihi essent orationis vela; citius dies, quam verba me deficerent. Proinde, ne vestra,  
in audi-

in audiendo abutar patientia: rem prolixam paucis, pro infantia mea, includere, ac exprimere verbis conabor. Fuit, fuit, inquam, Beatus HELVICUS noster, Magnus ac profundus Theologus, Incomparabilis Historicus, exactissimus Chronologus, & absolutissimus Philologus.

Quo nomine etiam Matri suæ, tum Academia huic celeberrima; tum puriori Ecclesia universæ, aded charus & amabilis extitit; ut ipsi à Deo id quod optimum haberet, quodq; amicis suis donare soleret: tam antehac, quam hisce diebus, privatis, publicisq; simul precibus dari exoptaret. Quas quidem divina exaudivit Clementia, ac pro suo admirando consilio, hunc in modum ratas, gratasq; habuit; ut premium idem, quod pro tam eximia pietate Cleobis & Biton divinitus receperunt; etiam nostro Beato Helvico largiretur, nimirum mortem prematuram.

Hæc ipsa autem, licet graviter nobis merito lugenda sit; amissimus quippe fulcrum religionis orthodoxæ, Columnam Academia, ornamentum nationis Teutonica, lumen totius Europæ, Arcturum vel aurigam purioris Ecclesiæ, Herculem Republicæ literariæ: Potius tamen animos nostros, ad nutum & arbitrium divinæ sapientiæ componere studeamus. Ne, si forsitan nos in lugendo immoderatiores præbeamus; audire cogamur id, quod toties à me commemorata Mater, sibi ex oraculo dictum, audire opus habuit: Quod tantopere lamentaris, injustè facis: dedi enim tibi quod petisti; & petisti, quod tibi dedi. Ego Deus tuus sum, tu mea Sacerdos es; ideoque filio tuo Deus dedit, quod habet præstantissimum, videlicet Mortem, quæ est transitus ex via in patriam, ex labore in requiem, ex miseria in beatitudinem, ex lachrumarum valle in paradisum amœnissimum, ex æstu in refrigerium.

Quò etiam Beati Helvici nostri animulam migrasse, nullum nobis superest dubium; utpote, quam inter devotissimas, oraculorum Spiritus S. recitationes, & calidissimas preces Redemptori nostro cõmendavit, ac tandem placidissime efflavit. Quod cum ita comparatum esse videamus: multò magis humanæ fragilitatis memores, id solummodo ex Christiano affectu unanimiter comprecemur, ut anima Desideratissimi nostri, sit in benedictione; exuvia verò usq; ad extremum diem, requiescant in pace.

Vobis autem, Magnifice Domine Rector, Viri Rever. admodum, Consultissimi, Experientissimi, Clarissimi, Excellentissimi; Studiosi Nobilissimi, Præstantissimi & Humanissimi; vobis, inquam, singulis & universis, quotquot exsequias ire dignati estis: pro tanta in defunctum propensione; Vidua mœstissima, & familia honestissima, me interprete agunt, habentq; gratias immortales; sua vicissim pro virili, erga vos spondentes, sine omni exceptione loci & temporis, officia paratissima.

D I X I.